

Q. K. 361, 28.

X 1880999

II m
732

DISSERTATIONIS CHRONOLOGICÆ
DE

CALENDARIO-
RUM IN IMPERIO NOSTRO

HODIE USITATORUM STRUCTURA
ATQUE DEFECTIBUS.

PARS PRIOR,

Exhibens generalem de Tempore

discursum itemque Calendarii Julio - Constantini
artificium,

QUAM

Supremô Numine assistente,

Et

Amplissimâ Facultate Philosophicâ Consentiente,

IN ILLUSTRISALANA

Publicæ eruditorum censura submittent

PRÆSES

M. JOHANNES FRIDERI-

CUS Treiber.

Et

RESPONDENS

HENRICUS ERNESTUS Treiber /

Osthusâ - Thuringi.

Ad D. Maij.

H. L. Q. Consuetis

Typis JOHANNIS WERTHERI.

ANNO M. DC. LXV.

3



DISSERTATION CHRONOLOGICA
GALLENANDARUM
RUM IN IMPERIO NOSTRO
HODIE LITATONVM SIKUOTIRA
PARKS PRIOR
scribens generalis de Tempore
dissertatione de Chronologia



M. JOHANNES FRIEDERICH
GALLIENANDARUM
scribens generalis de Tempore
dissertatione de Chronologia
XIII JOHANNES FRIEDERICH
anno M. DC. LXXV



COROLLARIA.

I.

TEmpus non est affectio extrinseca corporis naturalis, ut vult Sperlingius *lib. 2. Synops. Pbyf. cap. VI. §. 1.*

II. Satis etiam inconsideratè taxat definitionem Temporis Aristotelicam: Tempus est numerus motus secundum prius & posterius, dum *cit. cap. quest. 2.* inquit: mera sonant verba, tempore ipso longè obscuriora.

III. Cùm Jos. X, 12. 13. Stetisse dicitur Sol; itemque 2. Reg. XX, 9. retrocessisse ad X. gradus, nulla temporum mutatio vel interruptio accidit.

IV. Ens in genere definire, est milium sculpere toro.

V. Anne & quomodo Actus & Potentia in casu recto opponuntur?

VI. Anne subsistentia tanquam modus creaturarum ab essentia earum differt realiter?

VII. Ratio causandi causæ finalis est solum bonum.

VIII. Ejus causalitas certò respectu potest dici motio Metaphorica.

IX. Sed anne motio illa Metaphorica est actus appetitus?

X. Causata finis sunt tum res, quæ sunt propter finem, tum actus, intellectus scilicet & voluntatis.

Ad Pereximium ac Humanissimum

DN. M. PRÆSIDEM,

Amicum & Fautorem suum dilectum.

Dum cathedram ascendis PRÆSES, Dilecte, SOPHORUM:

Comprecor ut doctum per bene cedat opus.

Principium felix sit; & optimus exitus hujus

Incepti; faveat GRATIA sancta DEI!

*Benevolentia testanda, & amice gratulationis
causâ, faciebat*

Christianus Chemnitius, SS. Theol. D.

P. P. Pastor & Superintendens.

Ha&

HAecenus, ecce, Tuum laudavit, Amice, meatum
Semita doctrinae, quam teris assiduo.
Nunc quoque doctrinae properas conscendere scalam,
Cujus ad extremum culminat omnis honor.
Ascendas faustè; descendat gloria largè!
Obvius in gradibus sit Tibi multus honor!

Benevole gratulationis causa faciebat
Erhardus Weigelius PP.

Ordine qui pulchro nunc FASTOS ordinat, olim
Ille sua in FASTIS nomina clara leget.

Clar. Dn. M. Præsidi, Fautori atque A-
mico suo gratulabundus apposuit
M. Johannes Prætorius, Quedlinburgensis. Fac.
Philos. Adjunctus.

Dum jam Vere novò per prata virentia quisque
Discurrit, flores carpat ut inde sibi,
Tu quoque per pratum Sophies spatiaris amœnum,
Ingenio flores carpis & inde Tuo.
Urge opus inceptum! porrò hoc percurrito pratum!
Fructus maturò tempore percipies!

Clariss. & Eximio Dn. M. Præsidi de egregio spe-
cimine àutoxodiasì gratulatur
M. Jacobus Cress / Altenburg. Misn.
SS. Theol. Cult.

VIRO CLARISSIMO
DN. M. JOH. FRIDERICO TREIBERO,
Fautori & Amico suo exoptatissimo,

De
Primo in Cathedra Academica periculò feliciter
peragendò animitùs gratulatur

Lætor, cum video felicia Fata Meorum!
Lætor Amicorum quando virescit honos!
Hinc quoque, cum video Te non sine laude Cathedram
Scandere, sinerò lætor ego ex animo!

Philippus Zeifoldus, Philos. & SS.
Theol. Cult.



PROOEMIUM.



*T*natura non est ead. omnibus locis, neque flatuum, nec maris, nec pluvia, nec arborum, nec animantium; ita non oportet hominem ubivis eundem esse, sed cum loco & tempore variari. Ita eleganti hac similitudine monet magnus ille literarum phœnix, *Erasmus Roterodamus in Similibus*, æquâ animi trutinâ pensitans, temporis & oportunitatis observationem omnibus in rebus plurimum habere momenti. Neque enim cuivis tempori conveniunt omnia: ὡς ἐν ἐγῶν, ὡς ἐν δὲ γαμῶν, ὡς ἐν δὲ πεπαιδῶν, inquit *Athenæus lib. 7.* & alibi. Quin ipsa natura intervalla quædam atque laborum & quietis postulat vicissitudines. Egregium rei hujus testem se sistit *Poëta Mantuanus Epigram. in Mecænatis obitum*, dum ita canit:

Tempora dispensant usus, & tempora cultus:

Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aves.

Lux est, taurus arat: nox est, requiescit arator,

Liberat emerito fervida colla bovi.

Conglaciantur aquæ, scopulis se condit hirundo,

Verberat & gelidos garrula vere lacus.

Et fanè inter ipsa juris naturæ dictamina, ad quæ omnino referri debet, non ultimo sese sistit loco: *Temporè est inserviendum*; Nullius quippe gentis tanta fuit immanitas, ut omnes temporum penitus neglexerit distinctiones; quin potius rectæ rationis pulsî ductu singula-

ri sollicitudine eò laborarunt omnes, ut ad motuum
coelestium, præprimis verò luminarium normam (quæ,
*ut in expanso cæli sint ad distinctionem faciendum inter
diem & noctem: ut sint in signa cum tempestatibus, tum
diebus & annis,* ab ipso DEO creata penes *Mosen* legi-
mus, *Gen. 1, 14.*) tempora partirentur. Ut proinde in-
eptire quis minimè videatur, qui cum ipsa politia com-
munem quasi natalem Fastos habuisse arbitretur, &
cœpisse adeò, quando legitimæ sunt institutæ societa-
tes; ad usum siquidem communem apta quædam tem-
porum ordinatio principem inter ea occupat locum,
quibus benè constituta respublica carere minimè po-
test. Et ut alias jam prætereamus gentes: Imperium
Romanum, etsi nunquam tali temporis caruit ordina-
tione; hodiè tamen præprimis duabus celebribus per
universas ferè Christianorum terras receptis est instru-
ctum, antiquâ nempe Julio-Constantina, & novâ Gre-
gorianâ, quarum posterior priorem è medio tollere fu-
it conata; per labes tamen, quibus ipsa, æquè ac anti-
qua, non caret, ad aliam perfectiorem perficiendam
Autorum direxit consilia. Quapropter de earum stru-
ctura atque defectibus post brevem temporis in genere
considerationem paucis agere est animus. Tu verò
summe temporum arbiter, conatui nostro annue cle-
mentissimè!

CAPUT I.

DE TEMPORE IN GENERE.

§. I.

CUm tempus sit illud ipsum, cujus hac vice artificio-
sam quærimus digestionem, consultum duximus,
paucula de tempore in genere monere; hujus quip-
pe

pe cognitio generalis haud parum ad rationem instituti nostri facere videtur.

§. 2. Ipsum tempus, quòd sit, certò scimus; sed quid idem sit, dictu & investigatu perquam est difficile. Tantæ difficultatis an ipsius rei sublimis natura; an verò ingenii nostri abjecta conditio, causa sit, ambiguum est dicere. Sane non detrectat indoles nostra etiam ea, quæ maximè à sensibus sunt remota, sub incudem revocare, & gnaviter circa illa occupata, rem exsequitur. Ipsum verò Tempus modò non manibus palpamus, nutrit nos, sustentat nos, custodit nos: par tamen gratia ei vix quidem hoc referri potest, ut, quid sit, sufficienter cognoscatur.

§. 3. Dicere de tempore non erubescunt quam plurimi, quòd à nullo intellectu humano directè vel concipi vel æstimari possit, eò quòd à materia nimis remotum de spiritualitate aliquantisper participet, ob quam causam Philosophorum nonnulli Tempus *Divinitatis in unitate manentis numero fluentem imaginem* esse dixerunt. Et tanta quidem est intellectus nostri imbecillitas, ut nullam rem sublimiorem directè concipere & adæquatè repræsentare possit. Ne tamen planè nihil intelligere videatur, indirectè procedit, & per analogiam rei notioris sublimiorem aliquam naturam exprimit. Id quod etiam in negotio ipsius temporis observare licet; hinc enim, ne intellectus noster in tempore existens, ignarus temporis, cum brutis in diem vivat, indirectè quoque procedit, & per proportionem aliquam partim durationis fluxum analogò motu, præsertim corporum cælestium, concipit: partim *διάστημα* ejus spacio vel numero prædicti motus æstimat vel mensurat, & ita tempus determinate sibi sistit.

§. 4. Quanquam autem particularis quidam durationis fluxus cognitus pro mensurà ad mensurandam durationem hanc vel illam incognitam adhiberi possit, ac sæpius quoque adhibeatur: e.g. Si quærenti, quamdiu in Germania sit gestum bellum, quis responderet: per integram hujus vel istius viri noti vitam; Item: tantum requiri tem-

ri tempus ad coquenda ova mulierculis, quantum requiritur, ut trinâ vice possint recitare orationem Dominicam &c. nihilominus tamen, cum hi tractus sint particulares; tum etiam motus orationis aliorumque similium possit esse quandoque velox, quandoque tardus; tempus autem in se neque velox neque tardum; & quod palmarium: tum in se & secundum usum, tum secundum tractum suum sit universale ac in toto hoc universo unum & idem (idem enim momentum temporis, in quo nos jam vivimus, idem quoque est momentum, in quo Antichthones, imò cuncta hujus universi durare deprehenduntur) idcirco universalem quoque ejusmodi mensuram externâ simul tempori analogâ notâ gaudentem quærere veteres allaborarunt.

§. 5. Et quoniam talem mensuram nuspiam, nisi in cœlo, reperiri licuit: *illud enim (1) est universale totique huic universo undiq; visibile. (2) prestantissimis est exornatum luminaribus, quæ ad eund. finem, ut nempe sint in signa & statuta tempora diesque & annos, ab ipso DEO creata legimus Gen. 1, 14. (3) Motus quoque ejus est universalissimus, æquabilissimus & constantissimus, ut præprimis in Sole circa terram continuè se volvente, oriendo & occidendo lucis & tenebrarum vicissitudines creante, videre licet: Idcirco etiam cœli revolutione tempus hucusque mensurari consuevit.*

§. 6. A revolutione igitur cœli tam prima quam secunda determinatur & dependet quasi utraque temporis mundani species, *Dies* nempe & *Annus*: ille quidem à revolutione sive motu primo potissimû; hic à motu secundo. Motam enim illam, quam trahit Sol, dum motu primo semel revolvitur circa terram ad idem punctum, à quo digressus erat, diem appellamus, & distinctionis quidem gratia, naturalem; hujus quippe pars, mora scilicet Solis supra Horizontem, artificialis diei; & residua, mora nempe ejusd. Solis infra Horizontem, noctis nomine venire consuevit.

§. 7. Quod si contingat, ut quandoque duratio quædam integrâ solis revolutione minor sit æstimanda atque mensuranda; tunc, sicut pertica in certos pedes, digitos, grana

grana &c. est divisa : ita & præsentem mensuram, circula-
rem nempe motum, vel ipsum Solis circulum, ut alios cir-
culos, in 360 *gr.* : & quemvis talem in 60 *l.*, & horum unum
iterum in 60 *ll.* &c. dividere necessum habemus; ipsum ve-
rò tempus unicæ & integræ quidem Solis revolutionis spa-
cio interea præterlapsum, dies scilicet, in 24. partes æqua-
les est dividendus, quas *Horas* appellamus, quarum unicui-
que, si in ipsa mensura, motu nempe circulari vel ipso cir-
culo Solis æqualiter distribuatur, 15. *gr.* ejusdem circuli
respondent. Et porrò hora qualibet dividenda in 60 *l.*,
quorum quatuor semper respondent uni gradui in prædi-
cto circulo; & horum quodvis iterum in 60 *ll.*, quorum u-
num pulsus arteriæ ferè adæquat &c. atque sic minor hæc
applicari potest mensura.

§. 8. Quamvis autem revolutio Solis cum revolutione
Æquatoris exactè non conveniat; sed hæc illam præcedat,
dum sol moras quasi neſtendo quotidie ad 49 *l.* 8 *ll.* in Ecli-
ptica retrocedit, quibus minutis 3 *l.* 56 *ll.* 32 *lll.* horaria re-
spondent, ut adeò tot etiam minutis horariis dies à Sole
descriptus longior sit, quàm integra revolutio Æquatoris.
Vulgò tamen neglectis minutiis revolutio Solis revolutio-
ni Æquatoris æquiparatur & 15. *gr.* Æquatoris pro men-
sura horæ simpliciter assumuntur, cum tamen, si accuratius
instituaturs calculus, unicuiq; horæ respondeant 15. *gr.* Æ-
quatoris & præterea 2 *l.* 27 *ll.* 51 *lll.*

§. 9. Porrò, cùm tempus continuò curreret cursu,
& diei, tanquam mensuræ non adeò majoris, continua repe-
titio ingrata videretur futura, majori de mensura cogitare
cœperunt terricolæ, diesque quasi conglomerarunt & pe-
riodos constituerunt. Tales sunt (1) periodus 7. dierum
mundi naturalium, quæ *Septimana* dicitur. (2) revolutio
integra ☽ quæ peragitur 27. diebus 7. H. 431. 711. circiter, &
mensis periodicus, item *annus Lunariss* dicitur; vel: vulgò ipsi
æquivalens periodus 4. septimanarum mensis populariter
dicta. (3) Integra revolutio Solis per Eclipticam à certo
ejus puncto (v. g. æquinoctii aut solstitii) ad idem, quæ re-



volutio absolvitur 365. diebus, s. H. 481. & 49 11. ferè, & Annum solarem tropicum appellamus. (4) Annum lunaris Complexus ex 13. Mensibus periodicis tanquam annis simplicibus constans, & est 354. dierum, s. H. 481. 3811. circiter. Et secundum has mensuras alias durationes longinquiores æstimamus & mensuramus.

§. 10. Tempus per mensuram suam hætenus quodammodo adumbratum, cum in civili vita juxta varias ab hominum impositione factas notas positosque terminos certò modò ordinatur, artificiosa appellatur temporis digestio, quæ nihil aliud est, quàm *Calendarium*, quod vulgò dici solet *mensium dierumque*, adeoque *totius anni, ad usum Ecclesiasticum & politicum dispositio*, proque *gentium arbitrio variabilis & mutabilis*.

§. 11. Præcipuam mutabilitatem circa terminos initiales, & consequenter quoque finales, observare licet. Et (1) *circa Diem*: hujus enim initium in quovis circuli solaris puncto, in quo cuicumque visum fuerit, assumi posset; in civili tamen consuetudine unus ex præcipuis positionum circulis, quales sunt *Horizon & Meridianus*, qui orbitam Solis in transversum secant, eligi solet. Et quia, ut notum est, quatuor ejusmodi fiunt interfectiones per prædictos circulos, idcirco quidam ab hac, quidam ab illa &c. diei sumserunt initium, juxta versus:

Græci mane Diem capiebant Solis ab ortu;

Vespere Judæi; dum Phœbus culminat, Umbri;

Christicolæ incipiunt mediæ sub tempore noctis.

§. 12. (2) *Circa Septimanam*. Nam Judæi olim septimanam à sabbatho h. e. septimo die, quò creator quievisse dicitur ab omni opere, quod patrarat, inchoarunt. Christicolæ hodiè in memoriam resurrectionis Domini, postridie ejus diei; Turcæ verò in honorem Muhammedis, ut dist. n. guantur à Christianis, ^{post} postridie ejusd. suam incipiunt septimanam.

§. 13. (3) *Circa Annum*. Et hîc non tantum quoad principium à quo numerationis annorum, dum alii annos ab urbe condi-

ta, alii à *nativitate Christi* &c. (quos terminos *Epochas* vocant) numerare solent ; Verùm etiam *quoad ipsius anni principium* conspiciendam sese præbet variatio : *Ægyptii* enim & *Persæ* ita adornarunt annum, ut semper constiterit 365. diebus, nempe ex 12. *tricenium dierum mensibus* & 5. diebus, qui dicebantur *ἐπαγόμεναι* quasi superadjecti, neglectis adhærentibus 5. *Horis*, 481. & 4511. In hac anni forma accidit, ut annus civilis planè aberrarit à solari, & caput anni intra annos 1461 vagum per omnes anni tempestates retrorsum velut ex hyeme per vernum, æstivum & autumnale tempus ; & contra, æquinoctiorum sedes per omnes anni dies prorsus velut à Martio per Aprilem, Majum &c. in orbem continuo decurrerit. Et hi anni vocantur *Ægyptii*. Contingit idem quoque iis, qui merè lunaribus utuntur annis.

§. 14. Hic vagus capitis anni cursus, cum varias in vita civili aliis gentibus videretur parere confusiones, aliam atque aliam temporis digestionem sive calendarium adornarunt, ut fixum anni caput retinuerint. Et *Judæi* quidem *Ecclesiasticum annum* à mense *Nisan* sive à novilunio, quod verno æquinoctio proximum est : & *Civilem* à mense *Tisri* sive à novilunio, quod proximum est æquinoctio autumnali, inchoabant : *Græci* olim à solstitio æstivo : *Romani* jam à *Numæ Pompilii*, ut tradunt, temporibus paulò post brumam sive hybernum solstitium, quam anni formam sequuntur hodiè omnes ferè *Europæi*, scissa tamen jam est in duas quasi, de quibus in sequentibus prolixius.

CAPUT II. DE COMPUTATIONE TEMPORIS JULIO - CONSTANTINA.

§. I.

Romanos duos non adeò accuratos tempus supputandi modos ad *Julii Cæsaris* usque tempora habuisse, sicque triplici annò diversis temporibus usos fuisse, primò

primò primi Regis Romuli, alterò Numæ, & tertio C. Julii Cæsaris temporibus, antiquitatis tradunt monumenta.

§. 2. Et Romulum, quidem bellorum magis, quàm astrorum peritum, annum decimestrem 304. dies comprehendentem, cujus primus mensis fuerit Martius, ultimus December, cõstituisse tradunt Junius Gracchanus, Fulvius, Varro, *lib. V. de LL. p. 50.* Suetonius, Plutarchus *in vita Numæ. p. 121.* Et maximè clara sunt, quæ C. Julius Solinus *cap. III. Polybistoris* habet; Item, quæ Aurelius Cassiodorus *in Chronico*: Censorinus *L. de D. Nat. cap. XX.* quæ omnia hîc adscribere tempus & charta non patiuntur. Testatur id ipsum præterea Ovidius *lib. 1. & 3. Fast.* Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 12.*, qui cum Solino & Macrobio quantitatem etiam mensium addit, fuisse nempe *Martium dierum 31. Aprilem 30. Majum 31. Junium 30. Quintilem 31. Sextilem 30. Septembrem 30. Octobrem 31. Novembrem 30. Decembrem 30.*

Censorino

§. 3. An verò frequentissimo horum Autorum choro, de decimestri anno Romulino testanti, Fenestella & Licinius Macer annum Romanorum veterem ab initio statim duodecimestrem, teste Censorinò, contendentes, quos hodiè sequitur Josephus Scaliger *lib. 2. de emend. Temp. p. 172. & seqq.* & hunc Albericus Gentilis *lib. de diversis Temp. appell. p. 21.* Bodinus, & alii, commodè & cum fructu opponantur, dubitant alii. Videatur Gell. *lib. III. cap. XVI.*

§. 4. Primas Martio cur dederit Romulus, suspicantur nonnulli ex eo, quòd à Marte se genitum esse asseverârît, idque matre teste, quâ de re agit Livius *lib. I. cap. IV.* & Plutarchus *in vita Numæ.* Secundum dixit Aprilem, quem, vel, quòd Veneris habeat cognomentum, vel, quòd plantarum aperiat germina, ita dictum tradit Plutarchus *c. l.* Cum priori ratione consentit Ovidius *lib. 1. Fast.* canens:

Martis erat primus mensis, Venerisq; secundus:

Hac generis princeps, ipsius ille parens.

Cum posteriori convenit illud Horatii *lib. 1. carm. od. 4.*

Solvitur acris hyems gratâ vice Veris & Favoni

Trabuntque siccas machinæ carinas.

Item=

Itemque illud Ovidii *lib. 4. Fast. Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.* Vid. Macrobi. *l. 1. Saturn. cap. 12.* Tertium, nempe *Majum*, à *Maia*, quæ vox amitam vel quamlibet ætate grãdiorem Græcis notat, dictum esse inclinat Plutarchus *c. l.* Poëta tamen *Majum* à Majoribus, & *Junium*, quartum mensẽ, à juvenibus dici innuit *l. 4. Fast.* canens:

Tertius à senibus, juvenum de nomine quartus,

Quæ sequitur, numerò, turba, notata fuit.

Quorum ultimò versu, reliquos menses à numero, quoti nempe à Martio fuerint, denominationes suas accepisse indicat.

§. 5. Sed cùm Calendarium hocce Romulinum neque Solis cursui, neque Luna rationibus conveniret, nonnunquam usu veniebat, ut frigus anni æstivis mensibus, & contra, calor hyemalibus proveniret. Quod ubi contigisset, tantum dierum sine ullò mensis nomine patiebantur elabi, quantum ad id anni tempus desiderabatur, quò cæli habitus instanti mensi aptus rediret. Ita vitium hoc correxisse tradunt Macrobius *c. l.* & Aldus Manutius *lib. 1. de quæstis per epistolam.*

§. 6. Ob hanc proinde imperfectionem, quæ certè non exigua, ad mortem tantum usque Autoris sui durasse dicitur hæc anni constitutio. Postquam enim fati concesserat Romulus, imperiique summa ad Numam Pompilium fuerat devoluta, prima successoris hujus cura fuisse narratur Calendarii correctio: duos nempe menses *Januarius* & *Februarius* X Romulinis adjecit, & cùm Romulus initium à Vere auspiciatus esset, ipse à Bruma illius primordia fecit, ut refert Ovidius *lib. 1. Fast.* & Macrobius *c. l.* Quem morem etiamnum nos firmiter tenemus. Videatur Livius *lib. 1. p. 16.* Plutarch. *in Numa. p. 132.* Plin. *secundus de vir. illust. Macrobi. lib. 1. Saturnal. c. 13.*

§. 7. Construxit porrò Numa Calendarium suum secundum Autores jam citatos ad motum D, fecitque annum 354. dierum ex 12. mensibus constantem. Ipse verò postea in honorem imparis numeri anno suo integrum adjecit diem, ut fuerit 355. dierum. Numerum enim imparem apud anti-

B

quos,

quos & præprimis Numæ temporibus, in maximo fuisse præ-
tium, dubium non est. Vid. Servium ad illud Virgilii *Eclog. VIII.*
numero DEOS impare gaudet. Macrobius. *c. l.* Solinum *c. 3.* Imò
hæc quoque causa fuit, ob quam omnium mensium dies im-
pare numero exprimi, atque alternâ vice cavos & plenos
voluerit, ut tam in anno, quam in mensibus singulis impar numerus
servaretur, excepto Februario, à Februo lustrationum DEO
sic dicto, (*lustrari enim eò tempore civitatem necesse erat, quò ju-
sta Diis infauftis, nempe Manibus, quibus hic mensis sacer erat, sol-
verentur*) itaque deminutionem inferis paremque numerum con-
venire judicaverit. Hæc Macrobius. *c. l.* & Ovid *lib. Fast.*

§. 8. Constructi fuerunt menses prædicti, Auctori-
bus citatis testibus, ordine & quantitate sequenti: *Ianua-
rius 29. D. Martius 31. Aprilis 29. Majus 31. Junius 29. Quintilis. 31.
Sextilis 29. September 29. October. 31. November 29. December 29.
Februarius 28. Dierum,* quorum summa collecta est 355. Hic
autem numerus cum anno lunari exactè non convenit; an-
nus siquidem lunaris est 354. *dierum 8. H. 481. 38. 11.* Ut adeò
differentia inter annum lunarem astronomicum & civi-
lem Romanum 15. *Horarum* fuerit cum appendice 111. 22 11.
Fuisse verò Februarium ultimum anni Pompiliani Mensem
non solum exinde colligunt Auctores, quòd in eund. men-
sem, & diem quidem 23. anni inciderent Terminalia; ve-
rùm etiam claris id legitur verbis apud Varronem *lib. V. de
LL.* Macrobius. *c. l.* & Ovid. *lib. 2. Fast.*

§. 9. Non tamen merè lunare; sed Lunæ-Solare fuis-
se systema temporis Pompilianum, exinde liquet, quòd in-
tercalatione quadam mensium tempestates easd. semper
servare voluerint Romani, & proinde post Terminalia, sive
23. diem Februarii apposuerint mensem embolimæum,
quem Plutarchus *Mercedonium* vocat in *vita Nume & Caesaris.*
Mensis autem ille erat jam XXII, jam XXIII. dierum, &
perinde ac si dies nullus supervacuus h. e. trecentessimus
quingagesimus quintus fuisset adjectus, deficientes ad an-
num solarem 11. dies cum $\frac{1}{4}$ non singulis; sed alternis, &
quidem collectim ex iis menses constituendo, secundo,
quarto

quarto, sexto, octavo &c. intercalarunt annis, ut alternè intercalaris mensis modo XXII, modò XXIII. dierum insertus fuerit. Ita referunt Censorinus *de D. Nat. cap. XX.* Varro *lib. V. de L. L.*

§. 10. Sed postea animadvertentes, annum, ob sibi adjectum diem, si dictæ intercalationes singulis bienniis observarentur, non $365\frac{1}{4}$, sed $366\frac{1}{4}$ diebus constare, remedium huic morbo excogitasse narrant hocce: Cum singulis octenniis 90. dies in universum, diversis tamen vicibus, intercalares essent, nempe secundo 22. D. quarto 23. sexto. 22. octavo 23. &c. & ita tribus octeniis 24. dies abundarent, prioribus quidem octenniis retinuerunt intercalationes 90. dierum; tertiò verò octenniò non 90.; sed 66. dies tantum intercalarunt, adjectis 24. diebus, qui tertiò octenniò excreverant. Et propterea secundo & sexto octenni anno non 22, sed 16. dies; item: quarto & octavo anno non 23 sed 17. dies intercalarunt, & eos mensi Mercedonio attribuerunt, ut laboriosò hoc calculò tandem annus lunaris Romanus post 24. annos elapsos ad motum ☉ adaptatus fuerit. Videatur Macrobi. *cit. l. Solin. cap. 3.* Joseph. Scalig. *lib. 2. de emend. temp.* Aldus Manutius *lib. 1. de quaesitis per epistolam.* An verò intercalatio à Numæ temporibus sit deducèda, certò non liquet, quippe cum ipse Macrobius dubitet, utrum à Numa, an à Servio Tullio, an à Decemviris primùm intercalatum sit. Et licet verba Plutarchi aliorumque Numæ id tribuere videantur, Peravio tamen non satis faciunt. Videatur Petavius *Tom. 1. Doctr. Temp. lib. 11. cap. 73. p. 240.*

§. 11. Hoc intercalandi institutum in se quidem fuit constans; mox tamen quia eidem Pontifices præerant, (Fastorum enim custodia penes Pontifices fuit, commissa illis à Numa Pompilio, ut testatur Livius *lib. 1.* Qui Fasti, etsi à C. Flavio scriba, ut idem Livius *lib. 9.* narrat, postea evulgati sint, intercalandi tamen, diesque vel eximendi vel transponendi arbitrium, penes eosdem permansit) qui negotium sibi commissum invidiosè, negligenter atque iniquè tractarunt, antiqua Romanorum tempora non parum incerta reddidit, & miram in rebus omnibus introduxit con-

fusionem, sicque pessimè tum temporis cum Calendario fuit actum. Qua de re conqueritur Censorinus *de D. Nat. cap. XX.* & Cicero *pro L. Muræna.* Meminit ejusdem porrò idem Cicero *lib. 2. de LL.* Item *epist. secunda lib. VII. ad Marium.* Loquuntur de modò hoc intercalandi *epistola ad Atticum non 1, decima tertia & ultima lib. V. & epist. Cælii 9. lib. VIII.* Notant quoque hanc sacerdotum fraudem Suetonius *in vitâ Cæsaris.* Ammian. Marcellin. *lib. XXVI. pag. 334.* Solin. *cap. III.* Macrobi. *lib. 1. Sat. cap. XIV.*

§. 12. Satis ergò causæ habuit C. Julius Cæsar ad imperium proventus *hanc inconstantiam temporum vagam & incertam in ordinem cogere statæ definitionis,* ut loquitur Macrobi. *c. l.* Ope proinde Sosigenis, Mathematici Ægyptii, annum Solis motui accommodatum 365. dies & 6. horas comprehendentem constituit: Sex autem superfluas horas tribus proximè sequentibus annis neglexit, ut annus simpliciter fuerit 365. dierum; quartò verò quovis annò 6. collectas horas, integrum diem naturalem conficientes, intercalavit, atque sic integrum istum diem ante sextum Calend. Martii, vel inter 23. & 24. Febr. inseruit, ut annus fuerit 366. dierum. Plura de hac Cæsaris correctione vide apud Dion. Cass. *lib. XLIII. p. 227.* Appian. *lib. 2. de Bello civili in fin.* Sueton. *in Jul. Cæs.* Ovid. *lib. 3. Fast.* Plin. *lib. XVIII. cap. XXV.* Plutarch. *in Cæs. p. 1349.* Macrobi. *lib. 1. Sat. cap. XIV.* Tangit & Solin. *cap. III.* sed, judicante Lindenbrogio *in notis ad Censorinum,* ineptissimè. Optimè Scaliger *lib. IV. de emend. temp.*

§. 13. Quartus ille annus, ob infertionem unius diei, intercalaris, & quòd eò anno bis dicatur: Sexto calend. Martii, *Bissextilis* est appellatus. L. *deniq. 3. §. minorem. 3. ff. de minor. L. cum bissexturn. 98. ff. de verbor. signif.* Macrobi. *c. l.* August. *l. 4. de Trinit. c. 4.* Isidor. *lib. 6. Orig. cap. 17.* Ammian. Marcell. *lib. 26. p. 334.* Hinc, quia Salvator noster in fine bissextilis dicitur natus, quartus quivis à nativitate Salvatoris numeratus erit bissextilis, & propterea, an propositus annus Christi quicumque sit bissextilis, dignosci facili labo-

labore potest ex divisione illius per 4: si enim nihil est reliquum, annus omninò est bissextilis; sin aliquid, nempe vel 1. vel 2. vel 3. certum id est argumentum, esse eund. annum communem, & quidem vel primum, vel secundum, vel tertium ab anno bissextili. Sic in anno currente 1665, quia factâ operatione remanet 1., indicio est, præsentem annum esse primum à bissextili; quotiens verò, nempe 416. indicat tot annos bissextiles à nativitate Christi esse elapsos.

§. 14. Porrò Cæsar singulos menses, exceptò Februariò, alternatim voluit esse dierum 30. & 31. Januario enim dedit dies 31. Febr. in anno communi 29., in bissextili 30. Martio 31. Aprili 30. Majo 31. Junio 30. Quintili 31. Sextili 30. Septembri 31. Octobri 30. Novembri 31. Decembri 30. Vid. Macrob. c. 1. Quamvis verò Numæ Pompilii temporibus Februarius fuerit ultimus anni mensis; non tamen videtur ab ipso Cæsare ex ultimo ad secundum locum fuisse translatus; fortè enim translatio hæc ante Cæsaris ætatem contigit, ita quippe Ovid. lib. 2. Fast. canit:

Primus erat Jani mensis, quia janua prima est,

Qui sacer est imis Manibus, imus erat.

Postmodo creduntur spacio distantia longo

Tempora bis quini continuasse viri.

Jam verò Decemviros ante Cæsarem fuisse notum est. Posterius tamen temporibus mensis Quintilis in honorem Iulii Cæsaris dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio consule, Iulius appellatus est: quòd hoc mense, ad quartum idus Quintilis, Iulius procreatus sit, sunt verba Macrobiani lib. 1. Sat. c. 12. Vid. Dio Cass. lib. XLIV. p. 275. Appian. lib. 2. de bell. civili, p. 494. Plutarch. in Numa p. 132. Augustin. lib. 2. de doctr. Christ. c. 21.

§. 15. Quamvis antem, quò tempore intercalandum sit, satis clarè præscripsisset Cæsar; ipsò tamen postea non amplius superstite, supinâ eorum ignorantia, qui negotio huic præerant, citiùs, quàm par erat, intercalando, novus in calendarium irrepsit error, quem prolixius describit Macrobianus l. 1. Sat. cap. 14. Eum postea Octavianus Augustus, Cæsaris successor, correxit omissione bissextilium trium h. e. 12. annos proximos absque intercalatione transmitten-

dos statuit, ut tres dies ex præcipitatâ intercalatione inferti, eximerentur, ut referunt Suetonius in vitâ Augusti & Macrobius c. 1. Hic quoque mensem Sextilē ex Senatusconsulto Augustum appellavit. Cum enim Imperator Cesar Augustus mense Sextili, & primum Consulatus inierit, & triumphos tres in urbē intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ secutæque sint ejus auspicia ac fidē, & Ægyptus hoc mense in potestatem populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit, atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit, placuit, Senatui ut hic mensis Augustus appelletur, sunt verba Macrobius l. 1. cap. 12. Ne verò Augustus mense Julio foret brevior, diem unum Februario ademptum mensi adjecit suo, reliquosque eâ ratione disposuit alternâ, quemadmodum hodiernum in Calendariis nostris exhibentur.

§. 16. Christiani porrò in usum Sacrorum varia Calendario adjecerunt additamenta, præsertim circa sacra hebdomadica, sive diem Dominicum, (quem non cum Judæis die Sabbathi, sed Solis die celebrare constituerunt) prodierunt leges, quæ Constantino M. tribuuntur l. 3. t. 12. C. de feriis. Quia verò annus non præcisè 52. finitur septimanis, & in anno quidem communi unus; bissextili verò duo supersint dies, fit, ut non quotannis iisd. semper septimanæ diebus iidem quoque mensis respondeant dies. Sic si in anno communi 1. Jan. dies est Dominicus, in eod. quoque septimanæ die, Dominico nempe, annus finitur, & proinde 1. Jan. dies subsequenti anni est dies D; si verò fuerit bissextilis, finis præcedentis anni demum erit die D, primusque Jan. erit dies ♂, sicque, ut patet, dies Dominicus in alium atque alium mensis cadit diem.

§. 17. Proinde, ut Patres religiosissimi etiam rudiusculos quosvis erudire potuerint, (sacrorum quippe Christianorum rationem quemvis novisse cura eorum fuit summa) placuit iis, quamvis septimanæ diem litera aliqua ex 7. Alphabeti prioribus insignire, illamque, quæ dominicam notat, Dominicalem literam appellare, incipiendo à 1. Jan. qui literam sortitus A, secundus B. &c septimus G. octavus iterum

terum A & sic deinceps; Dies verò intercalaris propriâ literâ caret, & vicini sui, 24. nempe Febr. diei, literâ contentus esse debet. Atque hinc est, quod (1) quolibet anno alia sit litera Dominicalis, & quidem ordine retrogrado juxta versiculum Bedæ:

Grandia Frendet Equus Dum Cernit Belliger Arma.

Et (2) in anno communi unica duntaxat maneat; in bissextili verò duæ, quarum prior à principio anni ad diem usque 24. Febr. usurpatur; altera à dicto termino ad finem usque anni extenditur, ut ex subjuncto laterculo apparet:

1 2 3 4	5 6 7 8	9 10 11 12	13 14 15 16	17 18 19 20
G E D C	B G F E	D B A G	F D C B	A F E D
F	A	C	E	G

21 22 23 24	25 26 27 28
C A G F	E C B A
B	D

Atque ita per retrogradationem hanc periodus integra 28. annorum spacio absolvitur, & hac peractâ literæ feriarum pristinas sedes eodem ordine repetunt.

§. 18. Periodum hanc 28. annorum communiter vocare solent *Cyclum Solarem*. Quod autem 28. requirantur anni, patescit inde, quòd neque citiùs, neque tardiùs, quàm elapsis tot annis, literæ Dominicalis mutatio in orbem redeat. Si quidem annus Solaris constaret diebus 364. sive præcisè 52. septimanis, idque perpetuò, singulis annis idem literarum ordo rediret, & iisd. literis eadem feriæ perpetuò notarentur. Quod si perpetuò constaret 365. diebus, singulis annis unâ quidem literâ feriæ anticiparent, sed 7. post annos in ordinem redirent. Jam cum quarto quovis anno bissextus seriem turbet, igitur quater septem h. e. 28. anni requiruntur ad plenariam restitutionem.

§. 19. Co.

§. 19. Cognitō jam numerō, quotus scilicet quisquē
 propositus annus Christi sit in ordine hoc, tunc laterculum
 superius positum sub eodem numero positam Dominicalem
 literam indicabit. Numerus autem hic invenitur h. m. (1)
addatur 9. annis Christi, quia Christus natus dicitur eō annō,
quo Solis Cyclus erat 9. (2) Summa collecta per integrum cir-
culum h. e. p. 28. dividatur, & residuum indicabit cycli numerum
quod si nihil remanserit, 28. assumi debent, neglectō tamen quotien-
te. E. g. scire aveo cyclum solarem hujus anni 1665. factā
 additione & divisione restant 22., qui sunt numerus cycli
 Solaris hoc annō quæsitus. Hic si inquiratur in laterculo
 superius dato, ostendet infra se literam Dominicalem hujus
 anni A, quæ litera simul indicat cæpisse annum die Domi-
 nico sive primum Jan. fuisse diem Solis.

§. 20. Præter jam dicta sacra hebdomadica alios
 quoque dies festos in Calendario suo annotarunt Christia-
 ni, de quibus Imperatores Christiani peculiare leges, cit.
e. 12. C. de feriis, comprehensas sanxerunt. Et hæc festa sunt
vel Immobilia, quæ statum atque perpetuum in fastis locum
naçta sunt h. e. in certos & definitos Mensium dies incidunt;
vel Mobilia, quæ in alios sæpè menses, vel in alios ejusdem
mensis dies incidunt. Quæ festa posteriora cum ad unum
omnia à Paschate dependeant, de legitimo Paschatis tem-
pore proluxa in primitiva Ecclesia exorta est controversia,
quæ disputatio tandem in Concilio Nicæno per Constanti-
num M. & Patres religiosissimos est decisa, certumque tem-
pus festo huic est assignatum, ut patet ex epistola Synodica
ab Episcopis Nicææ coactis ad Alexandrinos, & qui Æ-
gyptum, Lybiam & Pentapolin incolebant, fratres, scri-
pta, quam exhibent Socrates lib. 1. cap. VII. & Theodoricus
lib. 1. C. IX. Hist. Eccl. Testatur & ipsum Eusebius de Vita
Constant. lib. 3. cap. 17.

§. 21. Decisionem hanc, cū Concilii acta, cheu! in-
 terierint, audent quidam canonibus aliquot includere,
 quod & fecit Sethus Calvisius *Elench. Calend. Gregor. cap. 4.*
 & sex recenset regulis negativis, quas ad duas redegit Ex-
 cellen-

cellentiss. Weigelius, Præceptor, Brabeuta ac Patronus
noster Parentis instar honorandus, in *Speculo Temp. Civilis*
parte II. cap. 2. §. 1. Nempe (I) *Ut festum hoc die semper Do-*
minicò, (quò Salvator resurrexit,) celebraretur. (II) *Ut Dies*
hic Dominicus pleniluniū, quod verno æquinoc̄tio est proximum, im-
mediatè sequeretur, & ita dies istius plenilunii, quò Salvator noster
passus & mortuus est, quò etiam Judeis Pascha suam celebrare so-
lenne fuit, penitus prætermitteretur; ulterius verò quàm ad 8. di-
es, Pascha non prolongaretur.

§. 22. Quod Concilii Nicæni decretum summò stu-
diò Patres in indicendo Paschate observarunt, ita, ut in
Synodo Antiochena adversus pertinaciter dissentientes
anathema adjecerint, ut referunt Magdeburgenses *Centur.*
4. cap. 9. Quam Synodum sub Constantio Constantini suc-
cessore habitam testatur Sozomenus. *Iisdem autem temporib-*
us, cum pauci essent, qui motum D & Paschatis rationem in Ec-
clesia exactè intelligerent, in Concilio Nicæno Episcopo Alexandri-
no mandatum fuit, ut mensem & diem Paschatis per calculum a-
stronomicum, pro statuto tempore cognita sideralis scientia, in-
quireret, & tempestivè Episcopo Romano & aliis metropolitanis
indicaret, ibique ad reliquos Episcopos idem perscriberet, ut in sin-
gulis Ecclesiis & Parochiis in festo Epiphaniæ, die 6. Ian. post præ-
lectum Evangelium populo significaretur, quando, quò mense & die
jejunium incipiendum & Pascha celebrandum esset. Ita Calvisi-
us *Isagog. Chronol. cap. XVI. & Epistola Paschales Theophili &*
Cyrilli testantur.

§. 23. Cœtu postea Christianorum longè lateque per
universas terras diffusò, scientiaque astronomicâ nondum
ita excultâ, ut Pastores plenilunium istud propriò potue-
rint inquirere marte: nondum itidem inventis officinis ty-
pographicis, quò ab eruditis acutè inquisita & in Calenda-
riis notata tempora per universum terrarum orbem, ut ho-
diernò seculò, dispergi, & tanto Pastorum cœtui, quò quis-
que subsequentiū Evangeliorum Dominicalium habuerit
notitiam, communicari potuerint; necessitas modum ex-
cogitavit cyclicum, quò plenilunium prædictum ad integros
C tantum

tantum dies computatum in exigua quadam tabula fuit
consignatum, ex qua deinde Astronomiæ quoque imperiti
Pastores plenilunium sæpius dictum, sicque legitimum Pa-
schatos tempus, paucis observatis regulis, haurire potue-
runt.

§. 24. Ad construendam hanc tabulam plurimum
conduxit periodus, ut vulgò putatur, Metonis Athenien-
sis, quam constare dixit 19. annis Solaribus, unde & ἐννεα-
δεκάτης sive *Decennovennalis* dicta, atque hac periodò pera-
ctâ Dnæ Solisque Syzygias ad idem ejusd. diei momentum
reverti arbitratus est. Dicta deinde *Cyclus D*, & ad ejus nu-
meros terminos annotarunt Paschales. Primus eorum apud
Latinos dicitur fuisse Victorinus Aquitanus: (quem Beda
tamen Victoriū appellat) Hic *cyclus Dnarem 19. annorum cum
cylo Solis 28. annorū miscuit sive multiplicavit, & ex hac mixtione
periodū magnam annorum 532. confecit, quò spaciò exactò, novilunia
& plenilunia non tantum ad eund. diem mensis; sed ad eand. quoq;
septimana feriam redirent. Inchoavit eam ab anno Passionis Domini-
ce, ut ipse putabat, ab anno 15. Tiberii. Hanc periodum postea in-
terpolavit Dionysius Exiguus, natione Scythæ, Abbas Romanus, qui
eand. retraxit ad annum natiuitatis Christi, ut sibi quidem vide-
batur, suamque periodum inchoari voluit anno Æra Christiane 532.
Et hac interpolatione effecit, ut periodus hæc è suo nomine appella-
tionem suscepit. Hæc Sethus Calvisius *Isagog. Chronol. cap.
XVI.**

§. 25. Non tamen habitâ ratione minorum ad in-
tegras tantum dies computatum plenilunium attendit
Dionysius, & tabulam suam secundum Metonis Cyclum
construxit, appellavitque *Cyclum Decennovennalem sive Pascha-
lem*, secundum quem suis temporibus plenilunium termi-
numque Paschalem propemodum accuratum inquirendi
tradidit modum, quò etiam cyclò universa Ecclesia ultra
1000. annos usa est, atq; etiamnum in Ecclesiis protestan-
tium, ubi Calendarium Gregorianum locum non habet,
observatur.

§. 26. *Iisd.*

§. 26. Iisdem, quibus cyclus Metonis, tabula hæc nititur fundamentis: nempe, licet D intra spatium anni Solaris duodecies quoque emetiatur Zodiacum, non tamen hæ duodecim Lunationes five menses Lunares cum mensibus Solaribus omninò conveniunt; Mensis siquid. *Dnaris*, & quid. Synodicus est *29. dierum & 12. Hor. 44. 1.* Mensis autem Solaris est *dierum 30. Horarum 10. & 301.* proximè. Atque hinc consequitur annum quoque Solarem & *Dnarem* complexum non esse æquales, sed in hoc deficere, secundum *Tabb. quid. Rudolphinas. 10. dies, 15. horas, 11. 21 11. 50 111.* pro quibus tamen civiliter *11. dies cum $\frac{1}{4}$* supponuntur, qui dies epactales five epactæ, quasi dies adjecti ad annum Lunarem complexum, quò suppleatur annus Solaris, appellantur. Vnde est, quòd non omnibus annis eod. tempore ead. quoque sint D Phases; 12. enim prædictæ Lunationes annum Solarem non adæquant, sed decimæ tertiæ prima quadratura & ultra ad complendum annum Solarem accedat necesse est. Sicque annuatim hæ phasium lunarium anticipationes continuantur, donec tandem novilunia & plenilunia ad idem tempus redeant, quod 19. annorum spacio fieri deprehensum est. Idcirco etiam *Cyclus Dnaris* ad tot extensus est annos, ut sit *periodus 19. annorum; numerus verò annorum in tali periodo, propter insignem usum, aureus est appellatus secundum quam plurimos.*

§. 27. Aureus proinde numerus nihil est aliud, quam numerus quidam ab 1. ad 19. indicans, quotus sit hic vel ille annus in proposito ordine *Cycli Dnaris*. Quemadmodum autem in constituendo tali cyclo *Dnari* præprimis ad novilunium respectus fuit habitus, ita, *initio à quocunque anno factò, e. g. ab eo, qui novilunium exhibet Ian. 23. Febr. 21. Martii 23. D. & ita deinceps: iis diebus in margine Calendariorum adscripserunt notam 1. Annò sequente animadvertunt neomenias 11. circiter diebus antegressas cadere in Ian. 12. Febr. 10. Martii 12. ad hos itaque dies in Calendario 2. annotarunt. Sic anno tertio, quarto & sequentibus, quos in dies cadere novam *Dnam*, mensibus*

singulis observabant, iis diebus numeros 2. 4. &c. apponebant. Hi numeri, in calendario notati, aurei vulgò dicebantur. Sunt verba Petavii Ration. p. 9. & de Doctr. Temp. Tom. I. p. 615. Eiusmodi Calendarii formam exhibet Excellentissimus noster Weigelius Parte II. Spec. Temp. Civilis cap. 2. Tab. 1. pag. 42.

§. 28. Aureus numerus invenitur ita: addatur annis Christi 1. quia Christus natus dicitur eò anno, quò aureus numerus fuit 1. & summa dividatur per 19. residuum ostendet cyclum Lunarem; si nihil restet, 19. assumi debent, neglectò quotò. E. g. hoc anno 1665. factâ additione & divisione restant 13. qui sunt numerus aureus quæsitus. Cognitus jam aureus numerus in Calendario saltim est quærendus: quibus enim diebus adscriptus est, in eund. illius anni diem novilunium quoque incidit. Ab hoc termino 14 numerentur dies, & tunc dies plenilunii istius mensis prodit. Atque ita plenilunium Paschale, quod primum est post veris initium sive æquinoctium vernalis, inveniri potest. Æquinoctium autem vernalis perpetuò affixum putarunt Methodi Cyclicæ Autores 21. Martii diei; proinde quodvis plenilunium 21. Martii diem immediatè subsequens pro plenilunio & termino Paschali assumtum, dieque subsequente Dominico Pascha fuit celebratum. E. g. hoc anno 1665. aureus numerus quæsitus est 13. qui in Calendario supra dicto notat novilunium incidere in diem 11. Jan. 9. Febr. 11. Martii &c. Ab hoc novilunio, die mempe 11. Martii, si 14. numerentur dies, invenitur plenilunium die 24. Martii.

§. 29. Ne verò Paschatis indagandi gratia majus istud Calendarium semper foret percurrendum, prædictos terminos Paschales exscripserunt, & eosd. cum aureo numero ad latus scripto exhibuerunt in laterculo, in quo termini citimi sunt 21. Martii, & Aprilis 18. Unde Pascha Christianorum nunquam ante 22. Martii vel post 25. Aprilis celebrari voluerunt. Huc spectant antiqui computatorum versiculi:

Extre-

Extremum Pascha monstrat Tua Passio Marce.
Item: Pascha nec uadens Aprileis ante Calendas,
Nec post septenas Maji valet esse Calendas.

Sequitur laterculum prædictum:

Si Cyclus D fuerit	1	Terminus Paschalis erit	5. Aprilis
	2		25. Martij
	3		23. April.
	4		2. April.
	5		22. Maji.
	6		10. April.
	7		30. Martij.
	8		18. April.
	9		7. April.
	10		27. Martii.
	11		15. Aprilis.
	12		4. April.
	13		24. Martii.
	14		12. April.
	15		1. April.
	16		21. Martij.
	17		9. April.
	18		29. Martij.
	19		17. April.

§. 30. Cognitō jam, die Dominicō terminum Paschalem, v. g. hoc anno 24. Martii, immediatē subsequente instituendum esse Paschatos festum, porrō sciendum est, quānam septimanæ feria sit, e. g. hoc anno, datus dies 24. Martii. Jam 24. Martii omnibus annis insignitus est litera F.; litera verò Dominicalis superius jam est inventa A: ab F ergo si numeretur ad A., prodit ipsum Paschatos tempus, n. p. 26

C 3

Martii

Martii, qui indicat terminum Paschalem fuisse diem ♀ hoc anno.

§. 31. Invento Paschate, reliqua' festa mobilia, quippe quæ ad unum omnia ab eo dependent, inveniri facili labore possunt. Horum autem quædam antecedunt Pascha; quædam verò sequuntur. Quæ antecedunt sunt sequentia: (1) *Dominica Septuagesima* 9. *septimanis* (2) *Sexagesima* 8. (3) *Quinquagesima* 7. (4) *Invocavit* 6. (5) *Reminiscere* 5. (6) *Oculi* 4. (7) *Letare* 3. (8) *Iudica* 2. (9) *Palmarum diebus* 7. (10) *Feria Coenæ Dominica Diebus tribus* (11) *Feria Passionis Dominica diebus* 2. Quæ Pascha sequuntur, constanti suo ordine sunt ista: (1) *Dominica Quasimodogeniti, quæ sequitur diebus* 7. (2) *Misericordias Domini septimanis duabus* (3) *Lubilate* 3. (4) *Cantate* 4. (5) *Rogate* 5. (6) *Exaudi* 6. (7) *Dominicam Exaudi* 3. *diebus præcedit Festum Ascensionis Domini* (8) *Pentecoste septimanis* 7. (9) *Festum Trinitatis* 8. Reliquæ Dominicæ festum hoc insequentes numero ab hoc festo 1. 2. 3. 4. &c. insigniuntur, donec ante 25. Decembris, qui est Dies nativitatis Christi, quatuor supersint, *Dominicæ Adventus* dictæ, à quarum prima annum inchoamus Ecclesiasticum; septem verò diebus à nativitate Christi, i. nempe Jan., quò circumcissionis celebramus festum annum inchoamus civilem: quod festum 6 Jan. sequitur festum, *Epiphaniæ*, à quo reliquæ Dominicæ numero 1. 2. 3. 4. sicut Dominicæ post Festum Trinitatis, usque ad Dominicam Septuagesimæ, insigniuntur. Et sic integer Computus Ecclesiasticus à festo Paschato dependet.

§. 32. Præter hætenus explicatum' cyclum D alium quoque veteres excogitarunt, qui ætatem D cujuscunque diei propositi per Epactas ostenderet, unde etiam *Cyclus Epactarum* fuit insignitus. Ejus fundamentum sequenti exhibetur tabulâ;

Aure

Aureus N.


Epactæ.

1.	11.
2.	22.
3.	3.
4.	14.
5.	26.
6.	6.
7.	17.
8.	28.
9.	9.
10.	20.
11.	1.
12.	12.
13.	23.
14.	4.
15.	15.
16.	26.
17.	7.
18.	18.
19.	29. pro quo 30.

Quod autem pro ultimo numero, 29 nempe, 30. assumantur, fit inde, quia excessus anni Juliani ultra lunarem spacio 19. annorum plasticè exæquat 209. dies, quæ dierum summa, si per 30. dividatur, menses embolimæos dabit 6. & 29. dies remanebunt. Ut autem Cyclus Epactarum in orbem redeat, assumuntur loco 29. dierum 30. dies, sive septimus mensis embolimæus. Unde consequitur, loco epactarum 11. anni 19. usurpandas esse 12. Hinc quia epacta ultimi anni unum diem in Calendario transcendit, saltum Lunæ per Metonymiam vocant: & per hunc D saltum in ultimo Cycli D naris anno obliterari dicunt dierum partes adhaerentes

rentes Lunari & Juliano annis, quarum ratio in anno usua-
li commodè haberi non potuit, & in usu communi, quamvis
reverà inæquales sint, secum invicem fuerunt æquata.

§. 33. Ad obtinendum finem, ob quem excogitatus
est hic cyclus, inquirendæ erunt epactæ, quæ inveniuntur
ita: Aureus numerus modò supra dictò inventus, multiplican-
dus est per 11. & productum dividendum per 30.; residuum factâ di-
visione, non habita ratione quoti, ostendet epactas anni propositi.
Quod si divisio fieri nequit, numerus multiplicatione factus est Epa-
ctarum. Sic hoc anno 1665. aureus numerus est 13. qui mul-
tiplicatione facta producit 143. Hic divisus postea per 30.
relinquit 23. qui sunt numerus epactarum hujus anni. Porro
si datus mensis fuerit Martius, vel alius Martium antecedens, sum-
ma Epactarum & dierum ætatem \mathcal{D} manifestabit; sin mensis pro-
positus Martium sequatur, numerus ejusd. mensis à Martio, quem
veteres Catholicum appellarunt, insuper addendus venit, & à sum-
ma subtrahendus quaternarius juxta hujus cycli Autorum mē-
tem: Quod ita provenit, quam proximè est ætas \mathcal{D} quæsita. Si
verò numerus productus excedat 29. ut sit 30. 31. &c. 30. abjician-
tur; si nihil restet, \mathcal{D} erit in \mathcal{C} ; sin aliquid, monstrabit id ætatem
 \mathcal{D} . E. g. si quis quærat ætatem \mathcal{D} d. 9. Aprilis anni currentis
1665. Si epactis quæsitis 23. addantur 9. prodeunt 32, qui-
bus si adjiciatur Catholicum 1. proveniunt 33. tricenario
abjecto, remanet ternarius, index ætatis \mathcal{D} ad di-
ctum diem quæsita. Et tantum de Structura Ca-
lendarii Julio-Constantini.



CAP.

